

IV. *Erit vita tua quasi pendens ante te.* Quod imprimis sic exponi potest: quasi peccator seipsum sibi videre videatur velut patibularium, jam ob scelera morti addictum, imo jam suspensum, vel sic, quasi eos, graviter offendit, semper ante oculos sibi observantes et suspensos, vindictamque petentes videat. Hoc sensu utique dicit David, Ps. L. *Peccatum meum contra me est semper*, quasi vir armatus, vel Urias ab eo occisus (unde postea addit: *Libera me de sanguinibus*) semper exposcens vindictam. Unde D. Ambr. in Ps. XXXV. « Offenditur nobis, inquit, ultrix nostri imago peccati, nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram servitutem, atque in sua vincula trahit, ut emendare se non queat, etc. Itaque cum oramus, peccatum effunditur: ubi somnus sensum corporis laxaverit, peccatum recurrit: semper nobis error noster, tamquam malus exactor, occurrit: vel tamquam improbus fenerator, conveniens debitorem. » Sic ille. Quod etiam gravibus quibusdam peccatoribus, et maximis parricidis, visibili specie contigisse legimus, uti Nero imperator, qui, cum matrem occidisset, fassus est materna se specie exagitari furiarum verberibus ac tædis ardentibus, apud Suet. Theod. Rom. regi, qui, occiso Symmacho, caput piscis mensæ illatum aspexit velut caput Symmachi, eoque conterritus, a mensa in cubiculum discessit, et terrore inde concepto, brevi extinctus est, auct. Jon. Magno Cælio, l. XXVII. c. XXII. et aliis Const. imp. Græco, quem frater Theod. diac. ab eo occisus, habitu diaconi per quietem crebro insecutus est, poculum sanguine plenum ei præbens, ac dicens: *Bibe frater.* Quod ut fugeret Constans, in Siciliam sedem transtulit, ibique periit, Cedren. in compend. hist. Simile est quod in prat. spirit. c. CLXVI. refertur de latrone quodam, qui a Zozimo susceptus in monasterio, an. 9. in eo vixit, postea habitum sæcularem a Zozimo repetiit; « Senior autem tristis effectus ait illi. Cur fili? Qui respondens ait: Ecce novem (ut nosti pater) annos egi in cænobio, et quantum potui jejunavi et continenter vixi, et cum omni quiete et timore Dei fui in subjectione, et scio quia infinita illius bonitas multa peccata mea remisit mihi. Verumtamen aspicio sæpius puerulum adstantem et dicentem mihi: Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, et in ecclesia, et cum ad communionem pergo, et in refectorio hæc eadem mihi dicentem; et vel una hora non sinit me quiescere. Ideo itaque, pater, abire volo, ut pro puerulo moriar: frustra enim et sine causa occidi puerulum istum. Sumptis ergo vestimentis suis, exiit. Et cum sic indutus perge-

ret Diospolim, tentus est, et sequenti die decollatus. » Vere igitur S. Bas. hom. in divites avaros ait: « Sicut umbra corpus, sic peccatum animam sequitur, gestorum imaginem manifestam referens. »

V. *Timebis nocte et die, et non credes vitæ tuæ,* quasi dicat: Nusquam fides, ubique insidias timebis et insidiatores vitæ tuæ. Idem testatur Eliphaz, in cap. XV. Job: *Cum pax sit, inquit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quod converti possit de tenebris ad lucem, circumspectum undique gladium.* Patuit hoc primum in Caino, qui etsi nota immunitatis a Deo signatus omnes velut insidiatores fugiebat, dicebatque: *Omnis qui viderit me occidet me.* De quo S. Chrysostomus, hom. XX. in Genes. ait: « Peccator, habens acrem illum accusatorem, conscientiam, nunquam sic in sollicitudine versatur, quin suspiciones timeat, umbras tremiscat, et eos qui conscii sunt, et qui non sunt. Perpetua in animo ejus tempestas est ac contrarii fluctus. Insuper neque somnus ei suavis, sed terrore et formidine plenus; neque cibus voluptatem præbet; neque amicorum colloquia talem refocillare vel liberare ab urgente anxietate possunt: sed quasi carnificem circumgestat, se lancinantem et flagellantem continuo, etc. » Patuit deinde in fratribus Josephi; qui, licet omnem humanitatem et benevolentiam a Josepho prius accepissent, cum ad eum introducti fuissent, dira sibi ominantes: *Introducti sumus, inquit, ut devolvat in nos calumniam, et violenter subjiciat nos servituti,* Genesis XLIII. Rursumque, ubi fratris beneficio jamdiu in Ægypto sustentati optimeque habiti essent, patre defuncto, metuunt sibi a fratre, ne recordatus pristinae injuriæ, ultionem de iis sumat, Genesis L. *Nè forte, inquit, memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus.* Artemon, ob vitæ improbitatem, adeo timidus fuit, ut domi plerumque vixerit, duobus servis, supra caput æneum scutum tenentibus, ne quid superne caderet; in lectica nonnisi adoperta, eaque humili, vectabatur, metu ruinæ; ideo *periphoretus* dictus, Plut. in Pericle, Fulg. IX. c. XIV. Dionysius Syracusanus tyrannus nonnisi a filiabus tonderi se passus est, insidiarum metu ob suam tyrannidem: postquam filia adoleverunt, nec illis fisus, sibi ipse candentium in glandium aut nucum putaminibus barbam et capillum adussit; cubicularem quoque lectum lata fossa cinxit, in quem se ligneo ponte recipiebat; forem cubiculi extrinsecus a custodibus opertam, interiorum claustrum ipsi diligenter obseravit, Val. l. IX. c. XIV. Mithridates Ponti tyrannus cum somnum caperet, præter excubitores, etiam taurum, equum

CONCIO V.

DEPLORANDA JUDÆORUM CÆCITAS, NECNON MULTORUM CHRISTIANORUM.

- I. Quia non agnoverunt medicum et Salvatorem. —
- II. Quia non agnoverunt suam cæcitatem. —
- III. Quia non cognoverunt tempus visitationis suæ. —
- IV. Quia non cognoverunt diem gaudii sui brevissimi. —
- V. Quia non agnoverunt se incurere in arma Romanorum, et excidium suum.

THEMA.

Quia si cognovisses et tu. Luc. XIX.

Platonis, in l. de reg. dial. III. sententia fuit: *Lacrymæ a claris viris removendæ sunt.* Quod ab ipsa doctrice natura videtur desumpsisse: siquidem viri fores ad fletum non facile commoventur; aut si commoventur, inde erubescunt. Hinc David rex plorans interitum Absalonis, operuit vultum suum: necnon ob ploratum illum reprehenditur a Joab, II. Reg. XIX. Ezechias rex, denuntiata sibi mortis hora, in lacrymas resolutus convertit vultum suum ad parietem; quasi puderet flentem apparere regem, IV. Reg. X. Cleomenes etiam Spartanorum rex, matri valedicens multis cum lacrymis, ab eadem monitus est, ut in publicum proditurus vultum componeret ad serenitatem, dissimulatis lacrymis, Plut. in Cleom. Quæ cum ita sint, quid quæso sibi vult, quod Christus Dei Filius flere auditur in hoc evangelio super Jerosolymam, et quidem publice, coram turba plurima? Magna utique necessitas esse debuit, quæ ad fletum eum compulit; neque alia fuit, quam Judæorum miseranda cæcitas, quam indicat ipse Dominus inter lacrymas et singultus verba illa exprimens: *Quia si cognovisses et tu!* Ea vero quanta et quam merito deploranda fuerit, nunc videbimus.

I. Deploranda fuit, quia non agnoverunt medicum et Salvatorem suum: quinimo repellebant eum, et præterea mortem ei machinabantur, non credentes tot testimoniis et signis, quæ ipsum demonstrabant verum ipsorum esse Messiam. Quam eorum cæcitatem designari per ficulneæ grossos, de quibus Cant. II. dicitur: *Ficulis protulit grossos suos,* sentit S. Bern. serm. LX. in Cant. « O grossum, inquit, vipereumque affectum odire hominem, qui hominum et corpora sanat, et animas salvat! O nihilominus intellectum grossum, et certe bovinum, qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei! » Et mox: « Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum bestialem hanc et plusquam bestialem hebetudinem ab eo depellere quivit: de qua non minus mirabili, quam

et cervum mansuefactos adhibebat, ut illorum vocibus et motibus de insidiis moneretur, Ælian. l. VII. c. LXVI. apud Caussin. in symb. l. VII. Masinissa Numidarum rex salutem suam custodia canum vallavit, Val. loco cit. En igitur quam vere improbis dictum sit: *Timebis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ.*

VI. *Mane dices: Quis mihi det vesperum? Et vespere: Quis mihi det mane?* Propter cordis tui formidinem, etc. Fatentur ergo se perturbata mente esse, et unde, nisi quia rei sunt? Habet etiam hoc mala conscientia, ut seipsam prodat, nec occultare queat, ob mentis inquietudinem et vitæ tedium. Exemplo est primo Lamech, qui, nemine cogente, fatetur crimen suum: *Occidi virum in vulnus meum, et adolescentem in livorem meum,* Gen. IV. In quem locum Chrysost. hom. XX. « Quis istum, die obsecro, talem ad confessionem adegit? Nullus alius quam conscientia, etc. Ita enim se habet peccatum, ut priusquam fiat, obtenebret ac decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifeste nobis absurditatem proferat et ostendat. » Post hunc fratres Josephi, qui scelus a se in fratre vendito patratum sedulo absconderunt, et tunica ejus, sanguine hædi tincta, patri fucum fecerunt; at postea cum angustia quadam premerentur, mox ipsi culpam suam agnoscunt et fatentur: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum,* Genes. XLII. Atqui aliud erat crimen de quo tunc arguebantur; furtum videlicet: sed quia furti conscientiam non habebant, fatentur illud alterum, cujus erant conscii. Recentius est quod scribit Buthnerus, in epist. hist. de tonsore quodam Efondiensi, qui cum tonderet canonicum quemdam patrum suum, vidit in mensa bursam (in qua triginta florenos erant) ab eo depositam; unde permotus avaritia, gulam ei præcidit, eumque domi suæ clam sepelivit. Facinus occultum mansit usque ad annum 16. quo tempore tumultus quidam ortus in civitate est, ad quem sedandum missi lictores, eum a tumultuantibus in fugam acti essent, confugere in tonsoris domum, velut in asylum. At vero is repentino lictorum adventu consternatus, quasi ipse sceleris reus ad necem quæreretur, illico se interfecti canonici reum fatetur, paratum ad vineula et pœnas subeundas: quo audito, attoniti lictores reum abduxerunt; et sic ille pœnas dedit.

Jam ergo ne miremur quod nemo ex omnium nundinatorum turba sese defendere et opponere Christo ausus sit; rea enim conscientia vires eis abstulit, os obstruxit, cor ademit. Quisquis ergo tanta, quæ diximus, mala et tormenta incurere non vult, conscientiam non offendant.

miserabili cæcitate factum est, ut illud tam horrendum tamque enormiter grossum facinus prouerint, Domino majestatis injicientes manus sacrilegas. Ex tunc itaque dici potuit, quia ficus protulit grossos suos, etc. » Ficus nimirum illa, ob sterilitatem suam a Christo maledicta, Matth. XXI. et altera ob eandem causam excidi jussa, Luc. XIII. Grossi sunt ficus immaturæ, quæ florum loco primo protruduntur, sex mox decidunt nec unquam maturescunt, quales erant Judæi illi incorrigibiles, qui primi licet a Christo vocati ad salutem, nullis tamen beneficiis, nullis signis et miraculis maturari ad fidem suscipiendam potuerunt. Utinam vero non hujusmodi grossi reperiantur etiam inter Christianos! Reperiuntur enim non raro qui, quasi medicos suos non agnoscerent, sed pro hostibus haberent, ita eos fugiunt, oderunt, invadunt probris et contumeliis, quinetiam aliquando verberibus. Cæci corpore ductorem libenter admittunt et amant: ita enim cæci illi, quos sanavit Dominus, omnes clamabant, et orabant, ut lumen reciperent: cæci vero animo tenebras suas amant, et viæ directores respuunt. Quæ major esse miseria potest? Quæ major cæcitas? Videntur hæc laborasse Geraseni illi, qui, cum vidissent porcos suos Christi permissa a dæmonibus agitato et in mare præcipitato esse, rogaverunt eum, ut discederet a se; quia, ut ait, c. VIII. Lucas: *Timore magno tenebantur*. Ecce vero? Quia gentiles cum essent, metuebant ne ad lumen fidei Christi adducerentur. O insanam cæcitatem! quasi dicant: *Recede a nobis, quia viam scientiarum tuarum nolumus*.

II. Quia non agnoverunt se esse cæcos: similes Harpasti, famulæ cæcæ, quæ se cæcam nesciebat, et domum potius tenebris oppletam asserebat, ut de ea scribit Seneca, in epist. I. ad Lucilium. Ita enim Dominus ad Pharisæos, Joan. IX. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet, h. e. si ex ignorantia invincibili essetis cæci, peccatum non incurreretis; quia vero ignorantiam vestram defenditis, et haberi vultis videntes ac sapientes, hinc peccatum incurritis*. Rursum si cæcitatem vestram agnosceretis, facile remedium cæcitati vestræ vel quæreretis vel admitteretis: quia vero non agnoscitis, ideo cæcitas vestra incurabilis est, cum medicum non curetis. Hinc redarguti a Christo, objecerunt pro scuto legem suam, quasi ex illa satis illuminati et communiti non egerent ipsius doctrina, cum tamen legem nec, ut decebat, intelligerent nec servarent. Communis est hæc miseria multis aliis peccatoribus, qui se in tenebris ambulare et a via salutis de-

viare nesciunt, adeoque defendunt etiam peccata sua et filios lucis se existimant. Horum typus erat Sedecias rex, cui per Ezechielem prædixit Deus, Ezech. XII. *Facies ejus operietur, ut non videat oculo terram, h. e. in Babylonem captivus ducetur, prius tamen exoculatus, ne videat terram illam*. Ergo ille excæcatus in Babylonem ductus est; sed quia cæcus erat, Babylonem non vidit. Ita aliqui excæcati abducuntur in Babylonem æternæ confusionis (id sonat Babylon) existimantes sese duci in Jerusalem ad visionem Dei; quales imprimis sunt hæretici, et alii suis erroribus pertinaciter adhærentes, dicentes: *Pax, pax, cum non sit pax*. Videbunt aliquando cæci isti se esse in medio terræ hostilis undique conclusos, cum aperti fuerint oculi eorum; quomodo Syri milites, dum capere quærent Elisæum, aorasia tacti, in medium Samariæ deducti sunt; cumque aperuisset Dominus oculos eorum, viderunt se in medio terræ hostilis constitutos, velut oves in macello conclusos esse, IV. Reg. VI. Tunc intelligit id Psalmistæ, Ps. CXVIII. *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*.

III. Quia non cognoverunt tempus visitationis suæ, quo salutem suam quærere poterant facile oblata sibi a Christo. Mira etiam et miseranda erat hæc Judæorum dementia. Nullæ enim creaturæ occasiones perficiendi se negligunt: ignis proximam statim apprehendit et absumit materiam sibi oblatam: aqua in decliviorem viam sibi apertam illico decurrit: aer in vas liquo evacuatum continuo subingreditur: animalia a frigidis regionibus, sibi periculosis, statuto et commodo tempore emigrant in calidiores, uti ciconiæ; alia e calidis in frigidiores, uti turdi. Judæi vero, Dei veri cognitione imbuti, nescierunt nec viderunt tempus salutis suæ sibi a Christo delatum, cum tam claras alioquin haberent prophetias, quæ id denuntiabant. Hinc queritur Deus de illorum cæcitate, Jer. VIII. *Milvus in cælo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini*. Norunt ergo animalia illa tempus veris, tempus seminandi et plantandi, tempus nidus struendi et proles educandi, tempus pabulum suum quærendi, tempus austeram hiemem fugiendi: at vero cæci Judæi non agnoverunt tempus illud acceptabile et diem salutis, quem attulit eis Christus, toties eis promissus. Eam cæcitatem alio simili exprobrat eis Christus, Matth. XVI. dicens: *Facto vespere dicite: Serenum erit; rubicundum enim est cælum. Et mane: Hodie tempestas; rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli judicare nostis: signa autem temporum non potestis scire?*

Signum videlicet temporis, quo venire debeat Messias, veluti septuaginta hebdomades Danielis, Dan. IX. et vaticinium patriarchæ Jacob, de translatione sceptri Juda, Gen. XLIX. et cæterorum prophetarum. Tali porro cæcitate multi adhuc laborant, etiam Christiani: in rebus terrenis lynceis, in cælestibus talpæ: prudentes in sæculo, insipientes in cælo: oculatissimi in congerendis nummis, ignorantissimi in comparandis virtutibus ac honorum operum meritis: sapiunt in bursa, desipiunt in conscientia: similes incolis civitatis in insula Thule, qui noctu quidem vident, interdiu cæcutiunt, apud Ant. Diog. in I. incredibilibus. Deinde, pretiosi temporis comoda ad quærendam æternam suam salutem minime observant. Quis vero non arguat dementiæ mercatorem, qui elabi sinit nundinas, quibus merces sibi coemere necessarias debet? Quis non agricolam, qui opportuna ad serendum, arandum et metendum tempora negligit, et ad hiemem differre labores istos cupit? In urbe Ambrosio, ad radices montis Parnassi, coccus nascitur, e cujus fructu, qui cicer non excedit, animalculum nascitur culice non minus: quod, ubi maturuit fructus, alas induit ac fugit, nunquam reversurus: at si legatur antequam maturescat, ex ipsius sanguine color fit coccineus, quo lanæ tinguntur ad vestitum elegantem et pretiosum. Refert Nicol. Leonicus, lib. IV. c. X. Occasio huic animalculo similis est, quæ si in tempore, cum offertur, arripitur, pretiosum homini fructum affert: sin vero negligatur, avolat non reditura, maximo ejus damno. Sensit hoc damnus sponsa, dum ait Cant. V. *ÿ V. et VI. Surrexi ut aperirem dilecto meo*. Sed interim tardat, et forsitan occupat se non nihil circa myrrham ad unguendum et poliendum corpus. Ait enim: *Manus mea stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at ille declinaverat atque transierat*. In quem locum Theodoretus scribit: « Quantum paret detrimenti pigritia, et quantum laborum afferat ignavia, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso januam vult aperire, cogitur paulo post non solum ad januam usque progredi, sed civitatem percurrere et plateas circumire atque in custodes incidere, et vix sponsum invenit exoptatum. Quod si statim vacanti paruisset, hæc omnia incommoda evitasset. » E contra cautior in hoc David tempora orandi et benefaciendi observans: *Præveni, inquit, in maturitate, et clamavi, Septuaginta habent: Præveni ante tempus. Prævenere oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*.

IV. Quia non cognoverunt tempus gaudii sui

præsentis esse brevissimum, adeoque, ut appellat Dominus *diem* unam, quam tamen *diem* elegerunt sibi præ beata æternitate, compensandam aliquando doloribus æternis. Tempus illud triginta octo annorum fuit, quibus elapsis cæpit eorum excidium atque exilium, duraturum usque ad finem mundi, una cum gehenna nunquam finienda. Jam vero eadem cæcitate laborant Christiani: paucos vitæ suæ dies ducunt in bonis, et postea in puncto ad inferna descendunt. Unde S. Gregor. hom. XXXIX. quæ est in hod. evang. « Suam hic diem, inquit, habet anima perversa, quæ transitorio gaudet in tempore. Cui ea quæ adsunt, ad pacem sunt: quia, dum rebus in temporalibus lætatur, dum honoribus extollitur, dum in carnis voluptate resolvitur, dum nulla venturæ penæ formidine terretur, pacem habet in die sua, quæ grave damnationis suæ scandalum in die habebit aliena. Ibi enim affligenda est; justi lætabuntur, et cuncta quæ modo ad pacem sunt, tunc nec in amaritudine rixæ vertentur: quia rixari secum incipiet, cur damnationem, quam patitur, non expavit; cur a prospiciendis malis sequentibus oculos mentis clausit. » Sic ille. Quis cæcus et insanus eligat pacem unius diei, sub pœna atrocissimi belli, vel perpetuæ rixæ, per omnem reliquam vitam duraturæ? Quis cum epulone illo vellet ad paucos annos epulari splendide, et postea famem ac sitim perpetuam tolerare in inferno? Stultam mercatricem appellavit sapientissimus Thomas Morus, Angliæ cancellarius, conjugem suam, quæ suaserat marito, ut vitam decem aut viginti annorum eligeret, et præferret vitæ æternæ, apud Staplet. in ejus vita. Ita desipiunt quicumque hujus vitæ commoditates sectantur cum dispendio æternæ felicitatis, et damno perpetuæ miseriæ: guttam mellis sorbent, hausturi postea mare fellis amarissimi.

V. Quia non noverunt magnis sese passibus pergere in laqueos, a Romanis sibi parandos, ac denique in excidium suum tam corporum, quam animarum. Non viderunt se a dæmone agitato impelli in præcipitium gehennæ, quomodo aquila stillatu dicta, taurum in præcipitem locum agit, et ruinam, dum ejus capiti insidens et morsus infigens, alis suis expansis oculos ejus tegit atque obnubit, ut miser quo currat, nesciat, uti refert Ælian. lib. II. anim. c. XXXIX. quamquam non tam diabolus, quam ipsorummet malitia eos excæcavit, dum promeruit, ut tali venatori, diabolo agitandi, permitterentur. Unde de illis dicitur Sap. II. *Erraverunt, excæcavit enim eos malitia eorum*. Id quod etiamnum accidit iis, qui terrenis bonis immersi, futura mala præco-

gitare et cavere nolunt. De qua re S. Gregorius, homilia citata, ait: « Perversa anima rebus presentibus dedita, in terrenis voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia: quia praevidere futura refugit, quae praesentem laetitiam perturbant: dumque in praesentis vitae oblectationibus se deserit, quid aliud quam clausis oculis ad ignem vadit? » Ita ad gladium et internecionem suam ivit Balaam, quando contra expressum Dei mandatum dedit regi Balac improbum consilium ad perdendos Hebraeos: siquidem in itinere vidit angelum, gladio evaginato contra se stantem, et monentem ne aliud loqueretur, quam sibi praeciperet angelus, certus alioquin sibi imminere gladium; perrexit tamen nihilominus, et docuit Balac regem rationem ponendi scandalum coram Hebraeis, muneribus ejus caecatus, adeoque cum videret imminentem sibi Dei vindictam et gladium interminatum, clausis tamen avaritia oculis, incurrit in illum, atque ita gladiis Hebraeorum in caede Madianitarum occisus est, Num. XXXI. Bene proinde de seipso vaticinatus est,

Num. XXIV. vers. III. *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cujus obturatus est oculus. Vere enim; etsi alioquin videns suum periculum, obturatum habuit oculum muneribus sibi promissis. Haec via et ratione pergunt ad interitum plerique peccatores. Vident enim periculum damnationis peccato conjunctum; vident hamum sub esca latentem: quia tamen escam amant, obturatis inde oculis involant in hamum escae conjunctum. Vident serpentem inter fraga haerentem: sed qui serpentem non ita celerem fore existimant, ut ab ipso mordeantur, fraga legere pergunt; sic intercepti a serpente et admorsi pereunt. Ita nimirum voluptatibus, honoribus, divitiis obturantur oculi, ut eorum amore non caveatur periculum, sed incaute incuratur, clausis quasi oculis.*

Superest ut hanc animi plagam, vel ipsius Dei lacrymis deplorandam, a nobis executiarius precibus, lacrymis aliisque sanctis operibus, ne caecitatem nostram sero nimis deploremus.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. LUCAE XVIII.

In illo tempore, dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi et aspernabantur caeteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent: unus Pharisaeus, et alter Publicanus. Pharisaeus stans, haec apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri homines raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in sabato, decimas do omnium quae possideo. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad caelum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur.

CONCIONES.

- I. Ratio ingrediendi templum.
- II. Ratio conversandi in templis.
- III. Defectus orationis Pharisaei.
- IV. De variis orandi ritibus.
- V. Gratiarum actio pro beneficiis divinis.
- VI. Quod nemo se cuiquam praeferre debeat.
- VII. Quae sint partes viri humilis.
- VIII. Argumenta, cur reddenda decimae.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Triumphator Pharisaei Publicanus.
- II. Honor templo debitus a multis ignoratus.
- III. E templo qui deteriores redeant.
- IV. Contra superbiam remedia.
- V. Damna quae infert vana jactantia.

CONCIO I.

RATIO INGRESSENDI TEMPLUM.

- I. Ingressendum cum timore. — II. Corde contrito. — III. Cum exclusione saecularium curarum. — IV. Cum humilitate. — V. Tempestive. — VI. Cum eleemosynae erogatione. — VII. Cum bona intentione.

THEMA.

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent.
Luc. XVIII.

Inter alia praecipua, quae praescripsit Ecclesiastes, etiam istud tradit, c. IV. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*, indicans haud dubie non parum referre, qua ratione quis ingrediatur templum; ut cum fructu in eo moretur, et inde regrediatur. Certam ergo dispositionem et virtutum comitatum requirere videtur. In cujus rei figuram templum Jerosolymitanum in edito erat loco; ut intelligeremus, ascendendum nobis esse eum conatu et labore aliquo, tam corporis quam

animi, cum ingredi templum volumus. Sed forte videbitur aliquibus supervacanea et puerilis quaestio, quomodo intrandum sit in templum. Nam surgo, ait aliquis, mane hora septima, deinde capillos pecto et plumas inde excutio, tum contemlor me in speculo, post sumo vinum adustum, aut jentaculum pro confortamine, deinde ad forum abeo, et cum sociis confabulor, donec inchoetur concio, tum audio concionem, et peracta concione missam, si non integram, saltem dimidiatam. Sed heus tu, bone vir: non est iste modus ingrediendi templum. Longe alia ratione dispositus esse debes, si cum fructu visitare templum velis: et quidem haec quam dicam.

I. Ingressendum cum timore et reverentia, quia est domus Dei et aula caelestis Regis. Unde in Levitico vocatur *sanctuarium*, cap. XIX. *Sanctuarium meum metuite: ego Dominus*: et cap. XXVI. *Pavete ad sanctuarium meum*, Hebr. vocatur *hechal*, id est, *basilica, vel palatium augustum*; item, *hab-hazarach*, id est, *auxilium vel aula*, ut interpre-